

Bibliothèque numérique

medic@

**Gardanne Duport, Charles - candidat /
Sue, Pierre - président. - De jugulo
luxato**

1782.

***Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
necnon Academiae Typographi,
viâ Cithareâ,***

Cote : ms 2345, n°15

D E

JUGULO LUXATO;
T H E S E S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ;

QUAS, Deo juvante & Præfide M. PETRO SUE, antiquo Collegii Præposito & nunc Quæstore, antiquo Scholarum Præcticarum Anatomia & Chirurgia Professore, Regia Academia Chirurgia Consiliario, in generali Parisiensi Præfecturâ Chirurgo ordinario, necnon Academiarum Monspelliensis, Rothomagensis, Divionensis, Lugdunensis & Burdigalensis Socio; tueri conabitur CAROLUS GARDANNE DUPORT, Tolonenfis, Artium Liberalium Magister, necnon in Regia Familia Præpositurâ Chirurgus ordinarius.


Die Sabbati 16 mensis Novembris, anno R. S. H. 1782, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.
PRO ACTU PUBLICO
E T
SOLEMNI COOPTATIONE.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ
Collegii necnon Academiae Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXXII.



二五

W. D. C. C. L. X. X. I. I.



D. O. M.

DE JUGULO
LUXATO (a).

T H E S E S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

CONGRuum & æquiparem partium corporis humani solidarum
situm, vitæ sanitatisque tùm tutelæ tùm conservacioni inservire,

(a) Claviculam jugulum vocat *Celsus*, Lib. VIII, cap. 8. inter recentiores *Fæsius*, *Sculietus*, *Forestus*, *Platnerus* & alii jugulum vel furculam pro Claviculâ dixerunt.

A ij

nemo certè inficiàs ibit. Fingas enim hunc situm causâ quâcumque esse mutatum: fieri tunc aliter non potest, quin pars perfectionis corporis pereat. Indè plurimi morbi & præcipuè ille qui *dislocationis* vel *luxationis* nomine à Pathologis designatur, cui patet quoque os *jugulum*. Sæpiùs reverà frangitur quàm è sede suâ dimovetur. De hujus ossis luxatione dicturi, quæcumque anatomica ad illud spectant, primùm in antecessum exponemus.

EX ANATOMIA.

In utroque latere, pluribus musculis necnon duobus ossibus, nimirùm scapulâ Græcis *ωμοπλάτα*, & jugulo, Græcis *κλειδῆς* dictis, parti thoracis superiori alligantur ambo corporis humani extremitates superiores.

Claviculæ, à clavibus ædium Antiquis impropriè dictæ, aliis *jugula* à jungendo, aliis *jugularia* à jugulando, paucillùm obliquè, anteriùs, in singulo thoracis latere, litteram minorem *S* transversim sitam aliquo modo simulant. Citissimè omnium in parvulis embryonibus ossescunt: hinc in maturis fœtibus corpus compactum solidumque, & extrema, quamvis naturâ porosa & spongiosa jam perfecta reperiuntur.

Quodlibet jugulum duo igitur habet extrema, interposito corpore, duas facies, & duos margines. Extremitatum una mobilis, anterior & interna, *pectoralis* sive *sternalis*, altera posterior & externa, *humeralis* sive *scapularis* nuncupatur. Inter has extremitates adnotatur corpus, sive pars media, superius & inferius leviter complanata, irregulariter cylindrica. E duobus ferè arcubus, extremis suis contrario modo invicem conjunctis, componitur: qui quidem arcus in fœminis minùs

prominent : leviter enim tantummodò apud eas incurvantur. Lineâ eminente , quæ à tuberculo minori cum processu coracoideo cohærente incipit , paulò postâ cuminatur , statimque gracilescit , ex parte bipartitur juguli corpus. Infrâ autem pro vasis & nervis sulcatum , in binis superficiebus , marginibus flexuosis , superiùs & inferiùs latis , planis & obtusis præditum est.

Crassissima est extremitas sternalis & quasi triangularis : plurimis asperitatibus notata est : per facieculam articulare , rotundam , ex parte concavam , in sterno terminatur. Inferiùs minori & ovato tuberculo cum costâ primâ nonnunquàm adunatur.

Extremitas juguli posterior humeralis , transversa , plana atque lata , priore tenuior , duas habet majores facies , unam superiorem , maximam , pluribus inæqualitatibus conspicuam , alteram inferiorem , specie quâdam tuberculi longiusculi , obliqui & asperi instructam. In fine extremitatis humeralis reperias facieculam , cartilagine crustatam , in margine sitam , oblongam , paululùmque concavam.

Facies superior est levigata , leviter rotunda vel convexa , & unâ vel duabus muscularibus impressionibus aspera. Facies inferior paululùm concava est , in suâ mediâ parte posteriori sive externâ. Uno vel duobus pertunditur foraminibus , ad vasorum ossis substantiam penetrantium transitum. Sæpe sæpiùs propè anteriorem extremitatem scissura adest , ab attritu ossis super primam costam originem ducta.

Duo adnotantur margines : anterior , externus , ex parte anteriori convexitatem , & ex parte posteriori concavitatem habet.

Posterior, internus, versùs pectoris intima respicit : concavus est in toto ferè suo ambitu : sed convexus fit, prout extremitatem posteriorem attingit.

Suis in extremitatibus maximè diploïca est juguli substantia : in corpore verò solidior, & in eo nonnisi angusta distinguitur cavitas, filamentis osseis, instar retis, plus minùsve divisa.

Ex dictis facillimè patet cum solis ossibus, scapulâ & sterno, articulari jugulum : sed articulatio cum scapulâ, quæ fit, mediante apophysi *acromio* nuncupatâ, ferè immobilis est, dùm articulatio cum sterno tanquàm *arthrodia* haberi potest. Nonnunquam etiam cum primâ costâ, per faciei inferioris extremitatis sternalis concavitatem, articulatur jugulum. Quare super costam mobilis quidem, facilè tamen in adultis cum illâ con-
crescit.

Extremitatis superioris motus juvare & regere, iisdem limites imponere, ne scapulæ posteriora versùs nimium ferantur impedire, pluribus etiam musculis insertionem præbere, hæc præcipuè præstant jugula. Prætereà, adnotante celeb. *Boehmero* (b), ratione horum distantiae, curvaturæ, & conjunctionis, liberior humerorum fit mobilitas, brachiorum pondera tanquàm fulcra sustinentur. Hinc cum homo erectus incedit, brachiis vel deorsum pendulis vel diversi-modè inflexis, vel dùm in dorso magna onera gestat, aut quandò diversas humeris peragit actiones, ejusmodi ossibus partim obsequiosis, partim validum exercentibus renixum, maximè opus est. Quamvis verò scapulas anteriùs sustineant, earum tamen sequuntur motum, & uti

(b) Inst. Osteologiae. §. DVI, pag. 289.

Celsus docē jam innuit (c) per se non moventur, sed cum humeri motu consentiunt.

Musculis *sterno-mastoïdeis* & *sterno-tyroïdeis* extremitatis suæ anterioris parte superiori, *sub-clavio* oblongâ concavitate quæ in facie corporis inferiori perspicitur, *majori pectorali* mediâ parte anteriori limbi externi sive anterioris, *deltoïdi* mediâ parte posteriori, sive externâ ejusdem limbi, *trapezio* tandem mediâ parte posteriori vel externâ limbi interni, insertionem præbet jugulum.

Hujus extremitas humeralis primò firmatur membranâ capsulari, quæ in toto tùm ejusdem faciei, tùm acromii faciei articularis ambitu adhæret. Ligamentoso fulcitur epitogio, cujus breviores fibræ, validissimæ, adhæSIONES habent cum laminâ cartilaginosa, quæ nonnunquàm duas inter facies articulares reperitur.

In facie inferiori ligamentum obliquum, maximè tensum, à parte inferiore extremitatis humeralis ortum ducit; totius ferè ejusdem ossis longitudini adhæret, & versùs partem mediam terminatur. Fulcimentum tutum & trochleam musculo sub-clavio præbet.

Extremitas pectoralis similem habet membranam capsularem; ac extremitas humeralis. Plurimis prætereà ligamentosis fasciis corroboratur hæc articulatio. Una ex his, longa & angusta, *ligamentum inter-articulare* dicitur. Juguli dextri à principio originem habens, retrò sternum superiùs, ubi adhæret, transit, & in parte internâ extremitatis pectoris ossi sinistri desinit,

(c) Lib. VIII. cap. 8.

Hoc ligamentum rectè quidem delineat *D. Bertin* ; at inventorem Doctiss. *Weit-brecht* missum facit (*d*).

Alia fascia ligamentosa jugulum alligat primæ costæ cartilagini , ligamentumque *costo-claviculare* rectiùs *costo-jugulare* vocatur. Nunc parti inferiori extremitatis pectoralis , nunc parti superiori primæ costæ cartilaginis adhæSIONem habet. Nonnullæ ejusdem fibræ usque ad ipsum sternum tendunt. Tertium ligamentum validius , aliis notabilius , juguli cum sterno articulationem confirmat : *sterno-claviculare* , rectiùs *sterno-jugulare* dicitur. Ejus fibræ in sterni extremitatis superioris tum anteriorem tum posteriorem superficiem sese explicant.

Adfunt postremò duo funiculi ligamentosi , quorum prior *ligamentum rotundum* , posterior *ligamentum trapezoideum* dicitur. Hæc ligamenta apophysis coracoïdæ tuberculo annexa , in extremitate humerali desinunt. (*e*)

EX CHIRURGIA.

Crebriùs jugulum frangi , rariùs è sede suâ dimoveri , propter valentiora modò descripta ligamenta , quotidiana docet experientia. Vel à sterno , vel ab acromio disjungi potest , sed multò frequentius à priori ossè , majoris hujusce articulationis motûs ratione ; hæc luxatio , à sterno , duplici modo fieri potest. 1°. Os in anteriorem partem promovetur , & super sternum effertur , si scapula vehementiori ictu vel lapsu antrorsum propellatur. 2°. Ossis inferiùs caput in poste-

(*d*) Vid. Comment. Acad. Scient. Petropolitan. Tom. IV. pag. 255.

(*e*) Vid. Ostéologie de Bertin , Tom. III. pag. 274 & seq.

riorem

riorem partem interdum inclinatum est, & sub pectoris osse conditum. Quod quidem evenire solet, juxta *Platnerum* (f), si, dum omoplata jam in superiorem partem promota est, jugulum valentiùs feratur & deprimatur.

Hujus ossis luxationem, in suâ cum scapulâ articulatione, nemo ante *Galenum* rectè descripsit. Ipsemet de se scribit (g), anno ætatis suæ trigésimo-quinto, sibi aliquandò inter luctandum usque adeò graviter ab acromio jugulum sejunctum fuisse, ut trium fermè digitorum sinus inter utrumque os patuerit. Medicos sui ævi acromii disjunctionem pro humeri luxatione habuisse nos docet *Hippocrates* (h). Undè pessimi tractus ad reductionem adhibiti; undè pessima mala, & sæpissimè partis læsæ perpetua deformitas. Optimum in hoc casu, suadente *Hippocrate*, illud est, fasciâ os prominens comprimere, & brachiûm propè costas continere, ut ossis partes disjunctæ faciliùs adunentur. Levem tamen semper superesse deformitatem, ossis prominentiâ, monet *Hippocrates*; sed minor est quàm si alia curationis adhibeantur media.

Vel super acromium ferri, vel sub eo ferè condiri potest juguli extremum, undè duplex luxationis posterioris species statui licet.

(f) *Instit. Chir. in-8º. p. 778.*

(g) *In Lib. Hipp. de Articulis Comment. I. nº. 62.*

(h) *Lib. de Articulis. Sect. VI. Edit Fæsto pag. 58. ubi sic legere est: Quibus summus humerus avulsus est, iis os avulsum extare cernitur. Est autem id juguli & lati scapularum ossis ligamentum. . . Medici igitur hoc in casu plurimùm falli consueverunt.*

Rarior est posterior (i): *Incompleta* vel *completa* potest esse prior; *incompleta*, quando ossis extremitas paululum tantummodò acromium exsuperat; *completa*, quando magis prominet & extrà totum excedit acromium. Tunc mirum profectò non est, in illis qui ejusmodi noxam experti sunt, si omninò brachium è latere læso resolvatur, ut nec capiti nec ori admoventi postmodum valeat. (k)

Causas juguli luxationis, sive anterioris, sive posterioris, ictus esse, lapsus, & generatim quæcumque os vehementius vexare possunt, nullum est certè dubium. Tunc enim extremitas cum sterno articulata sæpè sæpius è cavitate, in quâ recipitur, excidit, & ferrur retrorsum, si antrorsum propellitur humerus; antrorsum verò, si in situ suo naturali maneat. Cum è contrà versùs sternum projicitur jugulum, ita ut in cavitate suâ solidum habeat fulcimentum, si neque suprà neque infrà sternum ceciderit caput, luxatio tunc locum habet vel suprà, vel infrà acromium, sæpius verò suprà. Ictus & lapsus, propè suam cum acromio articulationem, juguli luxationi

(i) Hæc luxatio à quibusdam negatur, qui contendunt fieri non posse luxationem juguli infrà acromium: celeberr. Petit auctoritatem & experientiam iis objiciemus: sic loquitur, *Traité des Maladies des os; tome I. p. 146.* edit. M. Louïs. *Quoique j'aie vu plus rarement la luxation en-dessous de l'acromion, il me semble qu'elle devoit arriver plus souvent que la luxation en-dessus.* Hanc etiam luxationis speciem in ordinem redigit Platnerus, quando dicit, *Inst. Chir. §. 1156: Sub acromio vero conditur (jugulum) si id eâ parte, quâ cum hoc committitur, valentius ictu aliquo deprimitur.*

(k) In Diario Medicinæ mens. Nov. anni 1765, notata fuit à M. Martin, juguli à sede suâ naturalis & ferè ab ortu innata secessio, juxta acromium, cum quo nullam habebat connexionem illud os.

inferiori, potius quam fracturæ locum dant, præsertim si, instante ictu vel lapsu, fulciatur cubitus.

Solus sufficit tactus ut rectè dignoscantur omnes hujusce ossis luxationes; posteriorem, sive ab acromio, luxationem indicat cavum quoddam in loco quem reliquit ossis caput. Anteriorem, sive à sterno, luxationem designat insolitus juxta illorum ossium commissuram tumor.

Luxatio anterior multò periculosior evadit quàm posterior, sæpèque plurimis, & quidem gravissimis, concomitatur accidentibus. Quando enim sub sterno conditur extremitas anterior, ab eâ tunc, juxta auctores, premuntur œsophagus, aspera arteria, & quæ propè sunt vasa, nempè carotis, vena jugularis, nervi etiam. Quò tardiùs huic succurritur, hoc quoque difficiliùs excitatur os; usque adè ut inveteratæ luxationes semper ferè insanabiles fiant.

In juguli luxati repositione & ejusdem repositionis statu per fascias sustentato, totum curationis sistitur negotium. Haud difficilis certè repositio; os verò repositum in sede suâ continere, *hoc opus, hic labor.*

Una ferè atque eadem est in omni luxationis specie reductionis methodus. Collocatur æger in fedeculâ: minister ejus tergum genu premit, & apprehensum utrinque supremum humerum binis manibus blandè retrorsum trahit. Hoc modo probè extenduntur jugula, & articuli inter se diducuntur.

Quæ dùm fiunt, Chirurgus qui ægro adversus stat, os digitis in sedem suam compellit, illo depresso vel adducto, pro luxationis specie; ad extremitatem posteriorem luxatam

reducendam, quando super acromium eminet, extensione facta, ut jam dictum fuit, pollex super ossis luxati extremum imponendus, & eo duce propellendum os, donec cum acromio equipar sit. Si inferior sit luxatio, deprimendam acromium, & juguli extremum sublevandum. (1)

Reductione quocumque modo absolutâ, hoc imprimis providendum, nimirum ut quàm exactissimè vinciatur luxatum os. Si quod enim aliud, inquit Heisterus (m), hoc sanè luxationis genus accuratam per fascias vincturam postulat; maxime ubi tardius huic malo succursum fuerit. Ligamenta in ejusmodi casibus ita aliquandò infirmantur, ut sustinendo brachiorum ponderi nequiquàm sufficiant. Indefinito præterea motuum numero trahitur jugulum, si modò scapula aut brachium moveatur; hos verò motus vix impedire potest vel accuratissima fasciatio. Dissimiles casus dissimilia etiam quædam cum requirant in fasciarum applicatione, haud alienum erit explanatiùs hîc edocere, qualis singulæ luxationi accommodanda sit vinctura.

Notandum primò in omnibus casibus in quibus jugulum vel à sterno, vel ab acromio diductum, super hæc ossa effertur, humeri utriusque caput retrò dandum esse, & fasciâ continendum: illud enim, densioribus licet pannis objectis, satis firmari nequit. Adduci possunt humeri, tum in priorem,

(1) Reductionem juguli luxati, à Galeno descripti, figurâ & exemplo demonstrat Scultetus, Arment. Chir. Tom. I, p. 153. Tab. IV. Fig. III. Methodus autem ab eo post Hippocratem & Galenum delineata, aliis inventis difficilior atque etiam periculosior, prorsus rejici debet.

(m) Inst. Chir. Tom. I. pag. 242.

tum in posteriorem partem, vel fasciâ simplici, quâ & jugulum continetur, vel aliâ *stellatâ*, cui à stellâ nomen est; hæc sub alâ obvoluta, vel per pectus, vel per scapulas, ad dextri lateris summum humerum ascendit, hunc complectitur, & eâdem ratione iterum ad sinistri lateris humerum tendit, hoc quoque comprehenso. Quæ quidem fascia plerumque bis vel ter ita circumagitur, donec fortiter teneat. Illud verò ante omnia observari necesse est, ita collocandum esse humerum, ut is satis attollatur, & ut pro dissimili casu ejus caput in partem, vel priorem, vel posteriorem dirigatur: id fit, si inferius ejus caput, quod sedem brachio præstat, in contrariam vicem inclinetur.

1^o. Ubi jugulum à pectoris osse diductum super hoc effertur, sic, juxta *Platnerum* (n), postquam repositum fuit, continetur. Illi ejus inferiori capiti multi denique panni, & præsertim duo, se ad similitudinem litteræ X decussantes, & alius latus, opponi debent. Humerus verò non nimis valenter in priorem partem attrahendus est. Hoc vel aliâ fit habenâ, quâ humeri capita anteriora versus aguntur, vel illâ fasciâ, quâ etiam os emotum, deligatur. Hæc, si dextrum os luxatum fuit, rectè prius collocato humero & brachio, sub alâ sinistrâ obvolvi, per scapulas ad humeri caput ascendere, hoc comprehendere, super emoti juguli caput per pectus iterum sub alâ sinistrâ revertere, & ter ad eandem rationem per orbem, aliquoties cochleæ vel ascie in modum ascendendo, circumire debet, ita ut *spicam* describat. Finitur verò fascia per orbem actos in pectore. Curandum, quoties fascia

(n) Loco jam citato.

quædam sub alâ fertur , huic priùs semper imponi molliores pannos , ne vasa & glandulæ hujusce partis lædantur.

Nec minus in tali casu idoneum est aliud fasciæ genus , quod *Capitalem reflexam* , Gallicè *la Capeline* vocant. Hæc fascia sex ulnas longa , tres autem quatuorve digitos lata , inque geminum glomerem convoluta , quorum ille qui Chirurghi dextrâ apprehenditur altero minor est , sub alâ sinistrâ incipit , si dextrum jugulum emotum fuit ; fertur deinde , per pectus atque scapulas , super humerum dextrum quem amplectitur fascia. Ubi sic iterùm ad summum humerum venit , majus fasciæ caput iterùm sub alâ sinistrâ fertur : intereà verò minus caput super emotam extremitatem consistit , & à priori , quod per pectus agitur , sistitur. Hoc factò , minus caput retrò datur , & per summum humerum ad ejusdem lateris scapulam fertur , atque iterùm ab hâc per summum humerum ad juguli caput. Dùm sic hæc fascia reflectitur , ab alio ministro longius caput super scapulas pectusque ad summum humerum ducitur , minoris capitis plicas comprehendit atque contegit , ter per orbes fertur , & toties etiam alterum minus caput ita retrò datur , ut semper à priori penitus contegatur. Postea verò utrumque caput quasi per cochleam descendit. Fasciæ longius caput tandem utrumque humerum comprehendit , anteriora versùs agit , ac in pectore finitur. Hæc fascia quandò injicitur , duos requirit ministros , quorum alter majus , alter minus caput movet ac dirigit.

2°. Si jugulum à fede suâ ita recessit , ut sub sternò conditum sit , foveæ suprâ atque infrâ conspicuæ , spleniis angustis vel linteo carpto , albo ovi madidis , primùm implendæ : splenium deindè applicatur secundùm ossis longitu-

dinem. Fascia sub alâ sinistrâ orsa, non per scapulas, sed per pectus, ad humeri caput ferri & ita circumagi debet, ut utriusque humeri capita quæ comprehendit, retrò dentur, & ut illa descendendo quasi in cochleam serpat. Prius etiam summo juguli capiti, quo id cum acromio committitur, densiores panni objiciendi sunt.

3°. Si quandò super acromium prorupit supremum juguli caput, in hujus extremitate applicandum splenium quadratum & aliud quod supremum humerum amplecti debet. His graviter os luxatum deprimere convenit, juvante *spicâ simplici*, sive *descendente*, quæ deorsum fertur.

4°. Si jugulum ita suâ è sede motum est, ut id in sinum qui sub acromio est, ferè delapsum fuerit, cui quidem luxationis speciei non omnes consentiunt, super ejus caput inferius, quod à pectoris ossè est, applicandi sunt panni densiores. Utriusque autem humeri caput fasciâ ita retrò agi debet, ut fursum feratur.

In omni luxationis specie oportet, deligatione modo descripto absolutâ, brachium involutum mitellâ, quam Galli *écharpe* vocant, commodissimè excipi (o) atque sic inflecti, ut manus scrobiculo cordis ferè respondeat.

Sic paratur ista mitella. Mantile quoddam satis amplum atque molle, in trianguli formam, quoad mediam partem, complicatum, cubito brachii, è latere læso, submittitur; brachio inflexo & à mantili comprehenso, utraq; partes mantilis ex-

(o) Ita Celsus jam docuit pro brachio fracto. *Lib. VIII. Cap. 10.*

tremæ, circum collum injectæ, super integri brachii humerum nodo constringuntur. Partes mantilis quæ prominent, aciculis mundè ac eleganter accomodantur. Ex panno serico vel nigro hæc mitella potest quoque parari. Ne æger membrum nocenter moveat, rotundum aliquid manu hunc comprehendere necesse est.

Per spleniorum numerum & figuram, per fasciarum orbes diversimodè actos varia solummodo differt deligatio. Omnis enim in hoc consentire debet, ut partes emotæ, ad priorem statum reductæ, hunc retineant, & è sede suâ de novo non excidant. Cùm verò in hoc casu experienciâ constet, elapsis aliquot diebus, relaxari vel accuratissimè factam deligationem, per quadraginta dies iterùm atque iterùm hanc renovandam esse rarum non est.

